suos Nazaraeos esse voluit. De lege Nazaraeorum habetur Num. VI. Insuper sacerdotibus in templo ministrantibus vinum interdictum fuit, Levit. X. Se ergo non minus familiarem Deo aestimavit eis, ideo legem illam omnibus statuit. Ex suberbia etiam, quia semper singularis esse voluit, ideo singularia (**109 a**) praecepit, nam Judaeis vini usus non fuit prohibetur, nec Christianis; ideo pro differentia ab utrisque hoc praeceptum dedit.

Quarto ex quadam tristitia vinum interdixit et prima causa prohibitionis in ordine: dicunt enim, quod Machometus ante legem hanc fuerit homo ebriosissimus et in cultu Bacchi aut Liberi patris assiduus, incipiens autem suos errores seminare assumsit in collegam filium sororis suae sibi dilectissimum et unum famulum cubicularium; illi autem saepe discordabant et littigia quottidiana habebant, nec aliqua arte poterat eos Machometus concordare. Porro omni sero aestuabat Machometus vino et saepe in furia vini surgebat insaniens et cum gladio parietes impetens, putans se aliquem interficere. Quadam autem nocte, temulento Machometo jacente, surrexit servus et accepto gladio Machometi eum in filium sororis mersit et occidit ignorante Machometo; mane facto, cum mortuum illum in lectu vidisset, perterritus interrogat, quis hoc fecerit? Respondit, vosque, inquit, fecistis vino inebriatus. Cui contristatus Machometus dixit: ego non feci, quia dilectissimus mihi fuit, sed vinum fecit, quod ab hac hora usque in sempiternum non bibam et ita ulterius a vino abstinuit suisque etiam ejus potum interdixit, ne homicidia talia amplius contingerent. Unde ex tunc vinum auctoritate prophetiae excommunicavit et anthematizat calcatores uvarum et omnes vini collectores, emtores, potatores et ejus in domibus suis conservatores, quos omnes tamquam arma ad homicidia perpetranda accipientes puniri mandavit. Quanti enim interficiantur quottidie in conviviis vini usque ad nauseam audimus et legimus; in vetustissimis etiam Legendis habemus, quod Bacchus, qui primus Thebanis usum vini dedit vitesque primo in Graecia plantavit, habuit filium, nomine Icarum, cui pater potestatem dedit, ut vinum mortalibus praeberet; qui cum rusticis messoribus suis vinum exhibuisset et insueti ultra mensuram sumsissent ebrii facti existimabant, quod sibi venenum esset propinatum, ideo contra Icarum surrexerunt, eumque interfecerunt: ejus canis a cadavere non recessit, tandem

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;